

portaturum, qui citius animadvertere potuerit hostium difficultates.

Huius rei evidentissimum exemplum est, quod accidit anno salutis nostrae 1498, quo tempore Florentini nostri Pisas magnis copiis obsidebant. Quum enim Pisani obsidione cincti multis difficultatibus laborarent, Veneti, in quorum clientelam sese dediderant, non aliter auxilia afferri posse putabant, quam si bellum averterent, et in aliud locum transferrent, et magnis copiis imperium Florentinorum alio loco invaderent. Itaque Lamonam vallem ingressi, occuparunt Marradium vicum, et Castalioneam arcem, in alto colle positam, obseverunt. Florentini interim obsidione Pisana non discedendum putabant; quam obrem, collecto novo exercitu, cum Iacobo Quarto Appiano et Rinuccio comite Martiano ducibus, eum Marradiis in auxilium miserunt. Quum illuc pervenissent, Venetus exercitus, relicta arcis Castalioneae obsidione, Marradium ipse quoque se contulit. Se quum iam per aliquot dies vicini fuissent bini exercitus, magna comeatus penuria utrinque laborabant, et ceteris quoque rebus necessariis indigebant.

Itaque quum neuter alterum ad praelium provocare auderet, neque intelligeret quae in alterius castris fierent, aut quibus indigerent, deliberatum constitutumque est in utroque exercitu eodem die de movendis inde castris. Et Venetus quidem Berzigellam Faventiamque versus flectere decreverat; Florentinus Cesaliam Mugelliumque ducere volebat. Quum dies movendis castris constitutus adesset et impedimenta expedirentur, forte in Florentinorum castro advenit mulier quaedam vetula, paupercula e vico Marradio, ut cognatos quosdam inviseret, quos in Florentinorum castris se habere putabat. Ex hac quum Florentini duces cognovissent Venetum quoque iam castra Marradio movere, audaciores facti consilium mutarunt et constiterunt; litterisque Florentiam missis significarunt se

coegisse hostem inde discedere, et victoriā obtinuisse. Cuius rei bene gerendae occasio ex sola ea re ipsis contigit, quod priores animadvertisserint hostium difficultates. Quod si idem nuntius prius ad Venetum, quam ad nostrum exercitum pervenisset, idem iis utique praestitisset, quod praestitit Florentinis nostris.

locosa

TUCCIUΣ cum amico de vi frigoris conqueritur.

— Ego vero — ait alter — hypocaustum novissimum emi, quod non solum tepefacit, sed dimidia carbonis impensae parcit.

TUCCIUΣ: — Ecce duo non emisti? Toti impensae peperceris!

TUCCIUΣ tonstrinam adit, ut radatur.

— Adhibeatis, oro, cultrum vix natum.

— Quid hoc? — interrogat Tonsor.

— Nempe, cui dentes nondum orti sint!

Aenigmata

I

Bella puella fui, nunc arbor sum sacra Phoebi.

Principium mutas? Aëra turbo quatit.

Mutatur rursus mihi princeps litera? Dux sum armenti, mons sum, terra Cilissa tuus.

II

Progenies fumi nigro tego pulvere cuncta.

Principium demis? Fio lutosa palus.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Folium-Dolium*; 2) *Fors-Mors*.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXVI

Romae, mense Martio MCMXXXIX

Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

HABEMUS PONTIFICEM!

Ita est Christianorum familia divinitus constituta, ut quum Pater decedat, alter in eius locum sufficiatur, qui in filiorum salutem praedecessorum suorum operam sit persequuturus, usque ad consummationem saeculi. Itaque dum Pium XI vita functum orbis universus luget, en, paucos post dies, novum Pontificem gestienti animo salutat. Ovans gratulansque Eugenium Pacelli ad Ecclesiae Principatus summum fastigium evectum, nomine Pii XII, hodie salutat imprimis Roma, quae sanguine suo Eum genuit atque aluit; tot gentes et populi salutant, qui Eum in regionibus suis viderunt, religioseque alloquentem singulari cuiusque eloquio audierunt: Galli, Helvetii, Hungari, Septentrionalis Australisque Americae Civitatum incolae; et Borussi et Ger-

mani, qui tredecim per annos, in quibus Pontificiam legationem apud eos gessit, Illum admirati, veneratique sunt dilectumque habuere. Quamquam enim Is virum in re publica maxime versatum ubique sese ostendit et prudentem in negotiis agendis sagacissimumque, ante omnia semper Apostolicum ministerium pree oculis habuit, cui, Christi sacerdos, vitam suam devovet: hinc praesertim erga Eum dilectio apud omnes hominum ordines, ad ipsum usque populum, qui infallibili sua perspicentia veri, in gravi Illo at simul amabili Viro, Dei Virum deprehendit; hinc profecto et gaudium et plausus, quibus Eum Petri cathedralm ascendentem omnes gentes per universum orbem salvere iusserunt, confisae, misericordia Dei, datum tandem iri, ut

pax illa tamdiu ab iis invocata, quaeque, veluti et arcano Numinis consilio, a cognomento Eius et insigni generis praenuntiari videtur, quam denique fundamentum operis sui posuit, tandem aliquando vitiato et inquieto mundo per Eum concilietur.

* * *

Est autem nobis peculiaris laetitiae causa. Pius PP. XII enim, ut est latinae linguae peritissimus, quam a pueris impense coluit, et vinculum arctissimum pro Christianae Ecclesiae universitate iure habuit, incoepui nostro ita semper favit, ut his ipsis quoque diebus quidam ex familiaribus Eius ALMAE ROMAE proximum fasciculum super Eius scriptorio se vidisse nobis affirmaverit. Qui scribo colloquium me-

morabile memini, idque amplissimum, de latino eloquio inter omnes doctrina excultos communi restituendo, quod, cum Eo, iam Purpurato Patre et a publicis Pii PP. XI negotiis, habui, quum opusculum meum « Communia vitae » inscriptum obsequenter detuli; quemadmodum a lectorum nostrorum memoria profecto non fugit, facultatem Ipsum nobis dedisse in latinam linguam vertendi atque in nostris paginis edendi, mense martio MCMXXXVI, orationem, quam italice, in oratorio Borrominiano, dixerat studiis auspicandis apud Institutum ad Studia Romana provehenda, *de Sacro Fato Urbis Romae*.

Est igitur nobis pro novo Pontifice Pio XII et propria animi imploratio: *Vita! Victoria!*

ALMA ROMA

EUGENIUS PACELLI PIUS PP. XII

*Si iuxta aram Petri stant cineresque Philippi
Fata et nunc Romae, templaque ad alta manent,*

Ille ideo, qui in paginulis nostris, mense martio a. MDCCCXXXVI, Purpuratus Vir per humanissimum consensum veniam fecit ut orationem latine ederemus, quam in athenaeo ad studia Romana provehenda « De sacro fato urbis Romae » italice haberat, post multa splendide dicta de cursu ac vestigiis historiae nostrae fere divinis, hunc aptissime dicendi finem fecit: « civitates et fuisse et esse et forte futuras esse multas Roma ditiores opibus, vel frequen-

tiores civibus, vel maiores ambitu, vel doctrina clariores, unam tamen, post hoc translatum vetus sacerdotium Israël, novumque conditum Crucis imperium in omnes gentes, Urbem hanc veritatis ac sanctitatis fulgere populis summum domicilium, adeo altam Deo factam Sedem, ut ultra cunctos terrae vertices sola videatur hominibus attingere culmine caelos ».

Atqui hunc ipsum undique plenum mirae altitudinis sensum per hosce dies nostris perceperimus animis, qui unanimem luctum omnium per orbem gentium christianarum vidimus atque audivimus ob Pium XI Pontificem Summum, post annos iam fere duodeviginti Catholicae Ecclesiae Pastorem sapientissimum eundemque fortissimum, repente eruptum e vivis. Sed post breves dierum decades duas videmus

nunc iidem et audimus atque omnes experimur sensibus laetitiam communem extollit Fideique unius sanctae sponsonem concordem Christo Iesu Sacerdoti, Pontifici, regique Sacrorum aeterno renovari et a cunctis gentibus una prece, atque uno amoris invincibilis impetu, unoque hymno concini undique.

Quid ultra? Hic, quem videmus, Pio vita mortali functo, eodem nunc nomine suffectum, atque citissimo unanimique certe suffragio Purpuratorum Patrum Ecclesiae, non is est Pastor quem, ceu testimonio gravissimo didicimus, Decessor ipse supremi sui magistratus veluti heredem optimum nec semel neque obscure designaverat? Adeo nimur conspicimus iuge adstare Ecclesiae suae Christum « omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».

Et sane, dum Pius sa. me. PP. XI hunc nono iam anno socium officii cotidiani summique regiminis, ex Americana legatione illa ultima ab Argentinis et Brasilienibus redeuntem exspectat, amice fatebatur ad amicos ideo se eum tot ad populos legatum circum misisse, ut videlicet varias gentes hinc ille cominus agnosceret, utque inde vicissim melius undique ab illis cognosceretur. Namque is erat vir adeoque Pontifici Summo dilectus, ut eo se socio non diu carere posse fateretur. Eius nam laudem perstringebat hoc veluti titulo brevi: adlaborare eum secum, et semper, et impense, et optime. Nil mirum igitur si denique maximum profari gauderet de eo praesagium; magnum despontens eum sibi futurum esse heredem.

Equidem fortissimo simul suavissimoque consilio, Deus, ut assolet, sic praeparavit Ecclesiae suae virum, qui et per fines eius fere cunctos, a Canadianis usque ad Pannonios et a Brasiliensibus ad Gallos, Romanae ditionis verba ediceret, quique idem igitur, Urbis huius sibi in centrum imperii sui constitutae, in ipsissimo umbilico tres

et sexaginta ante annos natus esset. Qui immo est locus Romanis civibus post Petrianum sepulchrum sanctissimus unus, prope sacros nimurum Philippi Nerii cineres; Philippi dicimus, de quo puero mira ea fuit laus, quam Gallonius, historiographus eius primus, verbis complectitur de puero fere inauditis, quippe qui talis mansuetudinis esset, *ut irasci nesciret*. Sed Philippum illum bonum (*Pippo bono*) ne ideo credas ingenio aut indole vel sensu hebetem, qui futurus erat restituenda Romanae Ecclesiae veluti occultus dictator, isque adeo longius latiusque imperaturus, quo magis suavis et humilis atque omnibus civibus vere Pater.

Hac sacra Philippi forma ut fingeretur noster Eugenius puer addictus est a parentibus puerorum manipulo, qui Vallicelliano in templo sacris ministrabant. Quibus, una cum Francisco fratre maiore natu, pietatis ac religionis optimo exemplo fuit.

Non aliud reliquit de se nomen in schola puerorum ad aedes sanctae Luciae de Gymnasiis, Iosepho Marchi assiduo paternoque ludi magistro: non aliud Gymnasio ac deinde Lycaeum Enni Quirini Visconti nomine claris, quae iam Romano Collegio Societatis Iesu ibi addicta floruerant. Quarum scholarum supremum denique lumen vitor superavit, examinis quovis periculo expers, ob triennalia videlicet suffragia optima, quae de cunctis disciplinis sic meritus erat, ut prolyta honoris causa renuntiaretur: mox tamen, de historica disciplina proprio ac novo certamine libere inito, aureum nomisma uno vix periculi socio donari meruit.

Haec de puero et adolescente recolenda erant, non solum quod parum nota plurimi, sed etiam quia hominis fortunam praecclare saepe praenuntiant eius dilucula vitae, pro sapientis dicto: « Adolescens iuxta viam suam etiam quum senuerit non recedet ab ea ». Non mirum igitur, si tanta exordia maior repente spes sequuta fuit:

non ea tamen parentibus, neve amicis, neve magistris inopina. Nam, post expletum curriculum litterarum, innotuit de eo divinus ecce nutus, quo iuvenis in sortem Domini vocatus est. De re tamen nemo nostrum obstupuit, qui tot tantasque virtutes in sodali iam novisset adultas. Quam obrem inter alumnos Almi Collegii Caprancensis, sed simul Gregorianae Studiorum Universitatis, Eugenii Pacelli innotuit melius in dies multa laus sive pietatis, sive doctrinae. Ex hisce itaque liminibus sacrarum disciplinarum philosophiae, theologiae iurisque canonici laurea certa meritus, ad sacerdotium ascendit, primumque Sacrum litavit in templo Liberiano, ad aram Deiparae Mariae nomini dicatam «Romani Populi Sospitae». Quia vero romana veri nominis salus a salute cunctarum gentium, quas secum cogit Ecclesia Mater, seiungi nequit, ideo Deipara Virgo sic accepit in tutelam iuvenem, ut mox Pius sa. me. PP. X ad Vaticanas Aedes advocaret illum, qui summis negotiis Ecclesiae, quae extra consuetum ordinem aguntur, varie regundis initiaretur, quique idem Purpuratorum Patrum coetui, qui iis gerendis addicuntur, et a secreti esset. Hinc motus initia, qui sacerdotem Romae natum per orbem catholicum sacro ex centro late longeque circumduceret, multis que eum proponeret gentibus. Itaque apud Germanos primum, ad quos a. MDCCCCXVII, sacri Episcopatus Ordine in Xistino Vaticanarum aedium sacello ipsius Summi Pontificis Benedicti XV manibus auctus, Videlicorum in urbem caput apostolicus Nuntius missus est. Quod munus perarduum tanta prudentiae laude ille obivit ut, triennio post, Berolinum apud ipsam videlicet civitatem totius Germaniae principem, gemina illi legatio demandaretur.

Germanicam hanc duplēcē legationem suam sic coronavit Legati prudentissima opera, ut inter Romanam Sedem Germanorumque rempublicam initum sit solempne

tandem foedus, sive illud nimirum Berolini, sive Monachii, quod visum fuit novae nec speratae unquam concordiae post multa saecula fecisse initium.

Sibi igitur credito muneri utriusque foederatae partis cum laude maxima Legatus Pontificis institit per annos fere octo, usque ad annum MDCCCCXXV, qui fuit aetatis eius quadragesimus nonus. Inter quos annos tamen praeter tantam illam prudentiam eniit etiam Germanico cuncto populo memorabilis fortitudinis eius exemplum invictum, quod inter dies seditionis publicae tetricos, post immanis belli infelici exitum Monachii apparuit, deflagrante Communistarum, qui dicuntur, coniuratione cruenta. Tunc enim Apostolicus ille Nuntius suis usque in aedibus a seditionis hominibus vi petitus et armis, uni fisis Fidei atque apostolicae dignitati, Sanctaeque Crucis ligno, cuius particulas super pectus gestabat, sic stetit contra sicarios, ut eorum iram mira serenitate vultus et verborum vicerit, exque eorum manibus incolumis evaserit.

Tantis superatis periculis victor, quem Romanam tandem est revocatus, sacram Romanam Purpuram cum plausu romanae curiae totius Pius XI Pontifex Summus ei donavit. Mox eiusdem romani Pontificis ad latus sic rediisse est visus, ut in gestione negotiorum publicorum Ecclesiae, qui cum gentibus universi orbis aguntur veluti minister optimus iam designaretur. Quare, Petro Gasparri, S. R. E. Patri Purpurato tanto se muneri tunc abdicanti, imperituri nominis decessori, sic est ille suffectus, ut qui unus afferret dignae veluti aemulationis spem. Id igitur officium, ad quod tamdiu vocari caelitus videbatur, Pontificis Summi mandato quum ipse tenuit, hinc institutae summae et studiis assiduis iungendarum seu revocandarum gentium ad Romanae sedis publicam amicitiam; inde laboribus itinerum per varias terras et populos, qui per ministerium eius praesens

perque verba praeclarae eloquentiae et multifariam multiplicatae, maternam apostolicæ Sedis sollicitudinem suo quisque sermone audirent, sentirent. Sic igitur Pentecostalis Nuntius, ut Ille a Pio XI appellabatur, unam semper eamdemque docuit curam totius gregis humani in unum cogendi e variis linguis exque multis terris traditam esse Petro.

Suam hisce modis indefessam operam Pontifici Augusto atque imperituae memoriae magistro, dedit adeo felicem, ut foedera innovarentur publica, sicut inter Romanam sedem atque Germanos ita cum Slavoniis, Lectoniis, Hungaris aliisque populis multis. Non secus Eucharisticis solemnissimis coetibus interfuit cunctis, qui nuperrime habiti sunt sive in Americis sive in Europa, in regione Danuvii fluminis, itemque et in Marianis et Theresianis comitiis apud Gallos celebratis. Quarum legationum singula tempora totidem veluti gradus constravisse visa sunt, ipsaque Summi Pontificis manu sic superimpositos, ut ad Summum Petri solium praeclaro alumno tutus ascensus aliquando foret.

Sed in idem consilium prudentissimum convenisse putamus itidem natalis aurae praesagium. Nam nemo mortalium caruit unquam sensu quodam necessario et ferme corporeo natalis regionis sua, qua velut nativa vi plus minus ageretur. Quae fuit certe causa cur initium Romanae gentis ex variis populis divinitus disponeretur Latinis, Sabinis, Etruscis: eademque ratio cur qui communis legis commune foedus inisset hospes, qui renuisset hostis haberetur. Inde Romanae fortunae fundatum stetit, indeque causa Romulei lapidis in eum lapidem tandem immutati, qui angularis esset totius Ecclesiae Christi: in petram videlicet, qua Petrus staret electus Pontifex totius generis humani.

Hanc Deus sic fecit patriam cunctis e gentibus unam, eiusque magistratui atque imperio cunctis dedit dicere populis mo-

rem pacis. Hanc fecit itidem Christo Iesu sedem, Regi saeclorum, qui non alia tessa auditus est unquam Patris edicere regnum, nisi illa, quam post saecla bis centum audimus insonare adhuc caeloque terraque: «Pax vobis; pacem meam do vobis; quam mundus dare non potest pacem Ego do vobis».

Christo igitur Regi pacifico, cuius personam novus hic Ei constitutus in Ecclesia Vicarius iam gerit, in limine Petrianae aedis maxime genua flectere ecce vidimus omnium gentium legatos, qui, religione quamvis et lingua et sanguine diversi, ad sollemne sacrum coronationis convenere huius heredis Petrianae Cathedrae bis centesimi sexagesimi secundi. Quemnam igitur in Vicarii huius persona, sive inscripsi sive consciis, adoraverunt cuncti, nisi Regem Pacificum Crucis quidem confixum, «cuius principatus super humerum eius, cuius livore sanati sumus»?

Iesus velit igitur Rex regum et Dominus Dominantium, idemque Sacerdos maximus, exorienti huic aliquando auspicio communis bonae voluntatis benedicere, munusque largiri et Pontifici Summo et cuncto eius gregi, quod imploramus omnes; pacis nimirum divinae, quae revera e cunctis gentibus unam tandem cogat et Sanctam faciat Apostolicam Ecclesiam, duodecimoque huic Pio totam adiiciat ex toto orbe terrarum.

Quod sumnum hominibus bonum bonae voluntatis caelitus dictum quum Pius hic duodecimus, Summi Pontificis suscepta corona triplici, e perystilio Petriani templi precatus est, antequam benediceret, cunctis gentibus, id certe voluit imprimis gregi peculiari suo, idque ipsum ideo cives eius Christiquefideles uno precamur animo coniuncti:

*Jungimur unde et Christi et Romae stigmate sacro
Nomen quod duplex annulus unus habet.*

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

PETRUS IMMORTALIS

IN ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS PII DUODECIMI

*Vox dia vincens temporum silentia
— Tu es Petrus, — alta canit —
non praevalebunt Inferi! —*

*Piscator olim, rete primum patriis
tendere doctus aquis,
audivit hanc Betsaida;*

*Deique flexit nutu ad oras Tibridis,
heic moriturus iter.
superstes inde in saecula.*

*Cruci Neronis fixus hortis occidit
solus in Urbe Simon,
Petrus sed usque permanet,*

*Christique gentes temperat Vicarius,
pascit ovile sacrum,
caelum recludit Claviger.*

*Homo perit, Petrus revivit integer,
exterius variat,
idem figura in altera.*

*Mundana praeceps regna tempus obruit,
fortia et imperia
oblivione contegit;*

*bis dena splendor perseverat saecula
Sedis Apostolicae,
perire prorsus nesciae.*

*Secura casus sancta perstat civitas,
cui Petrus ipse subest,
fundamen usque immobile.*

*Dei, proterva i fronte, spretor impie,
Pontificalis, age,
throni ruinam praecine!*

*Atqui sinistros longus ordo Praesulum
continuatus adhuc
semper jeffellit augures.*

*Mirata Roma nuper est spectaculum,
ut vetus, usque novum,
praesentis index Numinis.*

*Amplo nigrantis instar undat aequoris
plebs pia densa foro;
murmur tremorque funditur...*

*Haerent camino mille fixa fumido
corda aciesque simul...
Pax intus et silentium,*

*quo purpuratus coetus orans consult
cui grave credat onus
Divinus orbis Spiritus.*

*Sollemnis instat hora! Caelo candidus
volvitur ecce vapor;
xystus patescit vitreus;*

*tubis adiuncta Vaticano ab atrio
vox boas altisonis:
— SUPREMUS EXSTAT PONTIFEX! —*

*Exsultet orbis, Roma mater gestiat,
DUODECIMOQUE PIO
Petrum salutet perpetem!*

HIRPINUS

DE PONTIFICIS ROMANI
TRIPLOCI DIADEMATE

Quoniam hisce diebus de Pontificis Romani coronatione actum est, aliquid de ipsa corona opportunum credimus subiicere. Triplex autem, iudicio meo, in Romano Pontifice dignitas, auctoritas, maiestas, ex hoc ipso quod Romanae ecclesiae episcopus sit, exoriri et cumulari videtur. Prima quia episcopus, altera quia patriarcha, tertia quia primus inter fratres, quasi pastor pastorum, quasi episcoporum episcopus, quasi patriarcharum patriarcha. Hinc episcopo infula, seu mitra; patriarchae corona, sive diadema, patriarchis vel nunc in usu; patriarcharum patriarchae tiara seu « triregnum ».

Ideo autem *triregnum* dicitur, quia tribus, alia super aliam, coronis constat; synonymum enim corona, regnum est. Phrygii instar pilei se habet, cui circa frontem corona aurea est gemmis et opera caelatoris eximia; corona autem huiusmodi non aurea taenia conficitur, sed radios habet, qui in cuspide tribus ita singuli gemmis ornantur, ut speciem preferant floris. Altera sequitur super hos corona eodem deducta more, sed ab inferiori divisa, et paulo elatior. Tertia est angustior altera et prima. Apicem triregni globulus ex auro, aut ex pretioso lapide exornat, a quo parva crux emicat, aurea et ipsa, interdum adamantibus per trabem et brachia scintillans. Subtus, a corona in coronam, sericus pannus occupat modo aureis, modo argenteis contextus filis, colore tamen serici panni vel albi vel rubri inter fluctuantia aurea, vel argentea apte ostendens.

Breviter de integra re antea libemus, ut gradus postea sit, et ascensus quidam in propositum argumentum.

Hebraicae ecclesiae, seu Sinagogae, fuit

et est Christiana heres, quia iuxta prophetam ob deicidium immane reiicienda erat.¹ « Non erit eius populus qui eum negaturus est »; quia a Christi dominatione sese Iudeus populus solemniter et quodam populi scitu abdicavit.² « Nolumus hunc (Christum Iesum) regnare supernos »; quia in locum Dei sibi regem subdidit hominem, et quidem idololatram;³ « Non habemus Regem, nisi Caesarem ». Id ex parte Iudeorum. Ex parte autem Dei reiecti adhuc sonant horrendum verba illa Apostolorum auctoritate prolata: « Quoniam repellitis Verbum Dei, ecce convertimur ad Gentes »; praeter ea, quae Christus ipse in Evangelio minatus est in pervicaces et impios.⁵ Patet igitur Ecclesiae Hebraeorum reiectio et abrenuntiatio; at eodem tempore, et auctoritate patet eadem Christianae Ecclesiae subrogatio et suffectio in locum reiectae:⁶ « Nolite timere, pusillus gressus, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum ». Et rursus:⁷ « Ecce ego vobiscum sum usque ad summationem saeculi ».

Quaerat fortasse quispiam: Quam ob rem haec tam alto repetita principio? — Alto, si originem respicias, quidem; sed non remoto, nam in proximo est. Data enim reiectione Sinagogae, data surrogatione Ecclesiae Christianae, dato (ecquis neget?) quod Deus Abraham et Mosis et Aaron et Salomonis idem sit ac Deus Pater D. N. Iesu Christi, cui a Patre omnia sunt tradita,⁸ sponte cum ipso venit in nos magnificentia cultus et sacerdotii, quam Moysi Deus idem nominatim praescripsit, David, afflante spiritu, praeparavit, Salomon incredibilium opum vi, auri, argenti,

¹ DAN, cap. IX, v. 26.² LUCAE, cap. XIX, v. 14.³ IOANNIS, cap. XIX, v. 15.⁴ Acta Apost., cap. XIII, v. 46.⁵ MATTH., cap. VIII, v. 12; id., cap. XXI, v. 43, etc.⁶ LUCAE, cap. XII, v. 32.⁷ MATTH., cap. XXVII, v. 20.⁸ MATTH., cap. XI, v. 27.

gemmarum perfecit. Magnificentiam autem huiusmodi, a templo ad levitas et ad suppellectilem cultus omnimodam, nostrum non est recensere, cui vix integri Sacrae Bibliae libri sufficiunt. Unum dicemus: Summi Hebraicae legis Pontificis, inclinatis iam Iudeorum rebus, tantus erat in vestibus decor, ut stola eius apud maximam et solidissimam Imperii Romani fidem tuenda crederetur. Quae omnia de Cuspio Fado quaerentibus, erat enim illis temporibus vir, facillime illucebunt.⁹ Hinc minime mirandum est si Mosaica splendidissima in basilicis, in sacris indumentis sacerdotum suorum Christiana sibi Ecclesia vindicavit; iure hereditario obveniebant, et ideo iure hereditario vindicavit. Itaque et quae summo Sacerdoti Mosaicæ legis indumenta et ornamenta erant, una cum hac dignitate suprema in sacerdotem supremum Christianae legis devenerunt; immo etiam speciosiora et sublimiora esse debebant, quia summus Christianae Ecclesiae Pontifex non habendus est quasi homo muneri administrando, quamquam sublimi, praepositus, sed habendus est quasi vir singularis, cui vices ipsius Christi in terris gerendae sunt, cui afflat Spiritus Sanctus ne quis erret in fide, cui creditus est non populus unus, sed universus orbis terrarum, cui traditae sunt «claves regni caelorum». Quapropter quantum Christiana religio Hebraicae praestat, tanto etiam in cultu debet effulgere praestantior.

Maximum vero inter pontificalia indumenta diadema est seu corona, qua dum sacra peragunt ministerii sui, dum ea persolvunt, quae sui sunt muneric multiformis, sacerdotes maximi decorentur. Hinc et *cydaris*, — ita enim Persarum regum diadema vocabatur, — seu *pyramis*, et *mitra*, et *corona*, et *diadema*, ornementum hoc et indicium supremæ potestatis apostolica auctoritate, apostolico usu, aquil episcopos minus gloriosum, quibus mitella,

⁹ Cfr. Ios. HEBR., *De antiquit. Iudaicis*, I. XX.

mitra, infula cum redimiculis, sicuti sacerdotibus Mosaicis;¹⁰ datum; hinc patriarchis tribus primaevis, iuxta sedes, quas princeps apostolorum Petrus constituerat, sibique tamen pro supremo iure servaverat,¹¹ scilicet Antiocheno Syriae, qui Asiam regeret, Alexandrino, qui Africam, Romano denique tertio, qui et ipse Petrus erat, Europam teneret, data corona est; sed sublimior, nam et lamina aurea ad caput circumdabatur, et quatuor taenias aureis in fastigium sphaerae super pannum convenientibus concludebatur, cruce in summo nodo superposita. Pontifici denique, patriarchae patriarcharum et episcopo episcoporum cydaris, seu pileus, seu diadema summi sacerdotis Iudaici ritus summum servatum est. De S. Apostolo Iacobo, Hierosolymitano episcopo, mitram auream gestante tradunt Epiphanius, Eusebius, Hieronymus, et Baronius ad an. XXXIV, Num. 294. De S. Ioanne scribit Polycrates Ephesinus, in epistola ad Victorem Papam, quod aureo diademate uteretur. Ecquid igitur de Petro iudicabimus? Numquid, quae minoribus habenda dedit, sibi non retinuit; aeternumque abrenuntiavit, ut potestas esset, signa potestatis non essent, ansamque daret iis, qui apostolicam auctoritatem pascendi agnos et oves, et confirmandi fratres Apostolos et Episcopos, negatur inde essent? «Sertum cum gemmis» ab Ennodio scimus fuisse super sacerdotale caput Ambrosii, sanctissimi episcopi Mediolanensis. Numquid Pontifici, qui Ambrosio ipsi longe praestabat nihil?

Sylvestrum Romanum Pontificem, Gratiiano dicente, scimus, et sacerdotalis insigne principatus gestasse, et oblata imperatoria diademata, paludamenta et quot

¹⁰ Levitic., c. VIII.

¹¹ Vide SYMMACUM PAPAM. Item GREGORIUM MAGNUM, epistol., lib. II, 48 ad Eulogium patriarcham Alexandrinum: «Festinare debet simoniacam haeresim, quae prima in Ecclesia orta est, a Sanctissima Sede vestra, quae nostra est, funditus evellere».

iuxta a Constantino Magno exhibita recusasse: «Ipse vero beatissimus Papa (Sylvester), super coronam clericatus (scilicet sacerdotalem), quam gerit ad gloriam Beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona»; scilicet corona imperatoria, quae tota ex auro erat, a sacerdotali penitus diversa. «Quapropter, — inquit, — nos phrygium candido nitore splendidum — (scilicet pileum, cydarim ex panno albo intertexto filis argenteis) — resurrectiōnem dominicam designans, eius sacratissimo vertici imposuimus».

Venio nunc ad gravissima coronae huius, nempe ad formam coronae, ad disciplinam diadematis ipsius. Papale diadema, seu regnum, (ita pluribus leviter placuit), pileo, seu cydari ex phrygio tantum constabat, aureo, quo frontem stringeret et haereret, circulo, seu taeniae, seu fasciae imposito. Bonifacius VIII an. MCCXIV radios primo circulo addidit, mox et alteram similiter superposuit radiatam; tertiam coronam in apice nonnulli Bonifacio eidem VIII tribuunt addenti, nonnulli Benedicto Pontifici huius nominis XII (MCCCXXXIV-XLII). Etsi multum commoveat tantorum auctoritate virorum, qua nihil ferme gravius, nihil praestantius, et quasi perturber, eorum tamen pace mihi liceat afferre, quae apud Promis¹² ponuntur e numismatibus, sive denariis, Sergio III Papa et Anastasio III ab anno CMIV ad annum CMXIII cussis. Ab hisce denariis Papae effigiem corona redimitam, aurea ut spero, sed habente supra auream taeniam inferiorem ornamenta et radios, fuisse intelligimus.

Qui proprius talia non modo aspeximus, sed perspeximus, a mysteriis tradendis, quae in diademate illo significabantur, abstinemus; plures enim libri aegre ad narrandum et enumerandum sufficienter. Ad tiaram, seu triregnum, vero quod attinet, plurima sunt, quae in trino illo numero

¹² Tab. VII, num. 10, 11, 12; ac tab. VII, n. 6

simbolice continentur. Nonnullis enim sententia est illic plenitudinem potestatis inesse indicatam, iuxta tria personarum divinarum attributa, quarum nutu Pontifex ipse regitur, et, velit nolit, instrumentum, minister et praeco est, idem et eodem tempore tuba et tubicen. Aliis arridet in illis significatio regnum Christi, ut in nomine eius «omne genuflectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Jesus Christus in gloria est Dei Patris». Aliis opinio placet, qua doceamus illic triplicis potestatis capita ostendi, nempe ut Romanus Pontifex sit super Imperatores et reges, super populos, et super sacerdotes; et quidem significationi huic respondere videntur ipsa verba tiaram imponentis: «Accipe tiaram tribus coronis ornatam, ut scias te esse Patrem principum ac regum, pastorem orbis in terra, vicarium Salvatoris Nostri Iesu Christi». Credunt alii illic significaciones triplicis ecclesiae fuisse suppositas, scilicet expiantis in purgatorio, triumphantis in caelo, militantis in terra; de hac ultima super frontem cogitat Pontifex, quasi de instantia sua quotidiana, quae est sollicitudo omnium ecclesiarum; expiantis recordatur semper, ut prosit animabus defunctorum, et ideo super caput media est, memoriam enim superiorem capitum partem scabentes, siquid oblii fuerimus, manu provocamus; triumphanti autem quodammodo ipse subiicitur, quia intercessores habet pro se et suo populo Sanctos Dei. Fiam sempiternus si persepar singula, praesertim si de gemmis loquar, quibus ornatur, iuxta biblicas expositiones.

Satis igitur de hoc, ne copiosiores fatigemus potius qui legunt haec, quam delectemus.

P. d. V.

Tu quoque fac timeas et quae tibi laeta videntur.
Dum loqueris fieri tristia posse puta.

OVIDIUS.

Pontificiae dominationis auspicatio

Romanis legibus iam inde cautum fuit quod naturali quodam instinctu apud omnes est circa rem, in quam quis proprietatis ius obtinuit, ut in illam actus dominacionis eliciat, capiatque, ut ita dicam, manus et exterioribus signis, quod antea, iure, tantum animo ac more retinebat. Hinc et in Canonicis legibus, ubi quis munere aliquo, officio, dignitate, auctoritate aliqua fuerit insignitus, vel per exteriora signa quaedam allegorice, — uti est traditio clavium, traditio episcopaloris baculi, — vel personali immissione in acta crediti munieris illuc defertur ab iis, qui potestatem iusque faciendi dederunt, et hortantibus iisdem, atque praesentibus et probantibus, suscepti officii negotia init. Ritus hic proculdubio, aut quid simile huic ritui, necessitate munieris ipsa, initio Pontificibus renuntiatis esse debuit, prout in episcopis fuit, quibus insignia dignitatis, nempe signa dati officii, baculus, infula, annulus, et quae proxima, tradebantur. Quapropter, quum Lateranensis archibasilica sit Romanorum episcopi, — talis quippe Pontifex est, — cathedralis ecclesia, necesse fuit ut hic illam adiret, ibique suae dignitatis et munieris auspicaretur principia.

Adisse igitur certum est; at solemnia, quibus procedebant Pontifices, unde orta et quando, nescimus, non quia solemnia haec defuisse aestimemus, sed quia de hac auspicione aut veteres auctores tacuerunt, aut scripta, quibus illam tradebant, ad nos non pervenerunt, persequutionum turbibus, barbarorum incendiis, bellorum praeliorumque caedibus, urbisque omnimodis prorsus subversionibus frequentibusque sublata. Relatum tamen in monumentis est, vigesima mensis martii die, anno DCCLII, Stephanum, incidentem primo in Lateranensem basilicam Pontificem renuntiatum, a Romanis in humeris subla-

tum fuisse, — quippe suavissime diligebant, — et in templum illud solemne ad ductum novo triumphali isto more. Inde colligimus a) haberi iam inde hunc accessum, seu processionem; b) ita haec fieri, ut pateret omnibus aliquo comitatu, prout de cebat episcopum, et quantum et quem episcopum!; c) publice fieri; d) civium frequentiam adesse. Quis autem ostendet haec omnia tunc primum Stephano contigisse, antea nunquam fieri consuevit? Itaque ne talia fierent in posterum, quae humiliati et humanitati repugnarent delati Pontificis, qui pedes ibat, cautum est ut Pontifex vel gestatoria sella ferretur, vel lectica, vel quadrupede veheretur, ut illius aspectu frui possent adstantis agmina populi secus vias et fora, nec humanis subiectis humeris deportaretur.

Usque ad Iulii II Papae dies, nulla inter posita mora, post coronationem Pontificis, solemnissima pompa instruebatur, procedebantque ad Lateranensia Pontifices, ut ibi principatus et possessionis suae signa exteriora proferrent. Ab Iulio illo (an. MDIII) mos immutatus, et quidem hoc iure factum iudico. Nam aliis, pro lubitu, coepitus est decerni dies, plerumque dominicus, aut festo solemniori aliquo memorabilis et servili opere vacuus; dupli reor de causa: tum ut magnificentiori viarum apparatu tempus daretur idoneum, tum ut qui optarent videre, magno urbis emolumento venientes et commorantes, accederent; qui enim Romanus episcopus est, non habendus est quasi quivis episcopus, sed episcopus episcoporum est, et pastor pastorum, in patriarchatu Abraham, in sacerdotio Aaron, in pontificatu Melchisedech.

Ubi a Vaticano procederetur, certa via erat, quae ideo *Papalis Via* appellabatur; quae nempe per regiones, quibus nomina *Borgo Nuovo*, pons Hadriani, seu Sancti Angeli, *Banchi*, *Ecclesia nova*, *Parione*, *Pasquini* platea, et S. Andreae de Valle,

via *Cesarini*, platea templi Iesu dicati, *Capitolium*, *Campo Vaccino*, seu *Forum Romanum*, arcus Titi Augusti, *Colossaeum*, via magna ad S. Ioannem, ad plateam et archibasilicam Lateranensem ducebat. Si autem ab arce Quirinali incederetur, erat iter per vias, quae dicebantur *delle tre Cannelle* et S. Romualdi, unde descensus ad plateam templi Iesu dicati, et, prout superius enucleavimus, inde eodem ordine, pompa, agmen in Lateranensia procedebat.

Qui diaria illorum temporum, seu narrationes auspicati sacri principatus, legerint, mirabuntur magnificentiam rei; at exultationem gestientis populi facile intelligent, quippe equitantes ibant ipse Papa, nisi sella gestatoria sublimis deportaretur, Purpuratique Patres omnes, sequentibus unumquemque nobilioribus eius aulicis. Veniebant exterarum legati gentium, anti stites Curiae, patricii, quidquid denique Urbs haberet genere, virtute, opibus honoribusque praestantius. Sequebantur hos populi multudo ingens, armigeri, milites, vigilis, custodes corporis argenteis et aureis in loricis, in cassidibus averso sole scintillantibus, matronae puellaeque nobilissimae sericis in cicladibus, in armillis adamantinis, in diadematis, nec minores hisce rutilabant auro, vestibus, forma superante omnem fidem, speciosae Romani populi matres familiarum et innuptae. Fama est interdum pompa procedentis caput attigisse Lateranensia limina, agminis ultima pars adhuc per *Capitolium* clivum descendere.

Quae tamen in Lateranensi templo perficiebantur, non modo fidem superant, sed ferme captum. Quae acclamations! Qui plausus! Quanta ubique exultatio in hymno illo Ambrosiano *Te Deum laudamus!*, cuius versiculi singuli in Lateranensi gloria musicis concentibus humanarum vocum organorumque praecinebantur, et coram aede SS. Crucis ad orientem, coram ruderibus Romani Fori et *Capitolinis*

Palatiis per longa agmina populi concinantis et prosequentis perficiebantur!

Ubi autem multitudo sequentium, densa in foro Lateranensi dupli, extra portam, quae a S. Ioanne dicitur, ubique circum consistebat, a maxima pergula archibasilicæ Pontifex, qui a sacris iamdiu peractis quieverat, inter flabella in gestatoria de latus, desuper porticum atrii apparebat, sacros ad rem versiculos circum cantantibus musicis turmis. Atque his finem can tui facientibus, Pontifex e sella assurgebat. Tunc universale silentium, quasi ades set nemo; genuflectere omnes; inclinato capite audire verba solemnia invocantis Deum, et præsentibus, Urbi, universo orbi terrarum benedicentis in nomine Au gustissimae Trinitatis!...

Sed humana omnia miscentur, nescio quo fato inevitabili, malis. Ita et haec solemnia miscuerunt interdunt tumultus, et interdum caedes turbarunt. Auspicante principatum sacrum Xysto IV in ipsa Lateranensi platea tumultus repente exortus est; atque ita, ut ipsius vita Pontificis pericolo proxima fuerit.

Magnificentissimo equitatu in hisce solemnibus Leo X usus est, qui arabico equo illustri insedebat eidem, super quem equitans ad Ravennam apud flumen *Ronco* cap tivus est factus, quem pretio redemptum ab hostibus carum habuit, et usque ad ultimum senium voluit nutritum, et custo ditum.

Alexander VII pedibus, humilis, sine indumentorum apparatu illustrum ire decreverat, ut in eleemosynam pecunia erogaretur. Qui ab aula erant, et Purpurati Patres aegre suaserunt ut a proposito discederet; non enim Alexandro, sed Petro decor ille dicabatur. Vetuit tamen ne arcus triumphales erigerentur, scripta quaeque in laudem suam et omina vetuit parietibus dari.

Pluribus alba mula, nonnullis lectica placuit uti, equo nonnullis; at quis maior

Caelestino illo V sanctissimo, qui pullum asinae, quo veheretur, elegit? Ac tamen duo utrinque reges mansueti aselli fraena regebant, Hungariae hinc, illinc Siciliae rex. Qui a Pio VI in posterum, curru splendissimo devecti sunt.

Bonifacio VIII procedente, horrida saevit procella ventis, imbris, grandine, tonitribus, fulgoribus; quasi parum esset, seditio saevit, qua homines quadraginta perierunt.

Callisto II obviam sponte plaudentes ierunt pueri e schismaticis graeci, et hebrei...

Ut rivos claudam, de Clemente Pp. XIV dicam, a cuius eventu dicterium vulgatissimum adhuc est apud plebem Romanam. Ipse enim quum ad Forum Romanum pervenisset, iuxta Septimii Severi arcum ex equo prolapsus est; inde quum aliquis alacrii corruat, Romani soliti sunt exclamare eum loci dominationem esse auspicatum (vulgo: *Ha preso posso!*). Sed tamen Clemens integer evasit iocoseque circumstantibus fassus est se casu illo « confusum », non quidem « contusum ».

SENIOR.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

De sede propositionum adiunctarum¹

i) Participium obtinet sedem propositionis cuius vices gerit.

EXEMPLA: *Multa agentem atque mediantem* (= dum multa agit...) Caesarem mors praevenit (SUET.) — *Quis est qui totum diem iaculans* (= si iaculetur) non aliquando collinet? (CIC., *Div.*, II, 59) — *Hanc adepti victoriam* (= si hanc victoriam...), in perpetuum se fore victores confidebant (CAES., *Bel. gal.*, V, 39) — *Hunc ego diem exspectans* (= quia exspe-

¹ Cfr. fasc. sup.

ctavi), M. Antonii scelerata arma vitavi (CIC.) — *Hac oratione habita* (= postquam habuit...), discedit Ambiorix (CAES.) — *Te incolumi* (= dum incolumis eris), liberi mei orbi non erunt (CIC.) — *Mortuo Augusto* (= postquam mortuus est Augustus), ruere in servitium consules, patres, equites (TAC.) — Caesar suis *cedentibus* (= qui cedunt) auxilio succurrit (CAES.) — Curio, *ad focum sedenti* (= dum sedet), magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati sunt (CIC.) — *Vehementissime perturbatus* (etsi perturbatus esset) Lentulus tamen et signum suum et manum cognovit (CIC.) — *Fide abrogata* (= si fides abrogatur), omnis humana societas tollitur (TIT. LIV.) — *Perditis omnibus rebus* (= etiam omnia perierint), tamen ipsa virtus se sustentare potest (CIC.) — *Haec atque talia agitantibus* (= dum haec atque talia agitant), gravescere valentudo Augusti (TAC.) — *Quieta Gallia* (= quum sit quieta), Caesar in Italiam proficiscitur (CAES.).

De Periodo

a) Periodus stricte dicta vocatur, cuius propositionis primaria vel una vel pluribus propositionibus veluti dissecatur. Venuste vox communis in fronte ponitur.

EXEMPLA: *Phocion*, etsi saepe exercitibus praefuit summosque magistratus gesit, fuit tamen perpetuo pauper, quum dittissimus esse posset (CORN. NEP.) — *Tua nobilitas*, Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus litteratis et historicis est notior, populo vero obscurior (CIC., *Mur.*, 7) — Valde mihi tuae letterae facetae elegantesque visae sunt: *illa*, quamvis ridicula essent, mihi tamen risum non moverunt (CIC., *Fam.*, VII, 32) — Neque *equus indomitus*, quamvis natura bene compositus sit, idoneus potest esse ad eas utilitates quae desiderantur ab equo; neque *homo indoctus*, quamvis sit ingeniosus, ad virtutem potest pervenire (CIC.,

Herenn., IV, 46) — *Dolorem iustissimum*, si non potero frangere, pro virili parte occultabo (CIC.) — *Omnes*, quum te summis laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo gratias agunt (CIC.) — *Archimedes*, dum in pulvere quaedam describit attenuus, patriam captam esse non sensit (CIC.) — *Numidae*, priusquam ex castris subveniretur, in proximos colles discedunt (SALL., *Iug.*, 54) — *Consules*, dum ipsi quaestionibus impediabantur, Moenium delectui habendo praefererunt (TIT. LIV., XXXIX, 20) — *Eros*, posteaquam e scena non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur, confugit in Roscii domum (CIC.) — *Grues*, quum loca calidiora peudentes mare transmittunt, trianguli efficiunt formam (CIC.) — *Hannibal*, anno tertio postquam domo profugerat, cum quinque navibus Africam accessit (CORN. NEP.).

b) Periodus late dicta vocatur, quum ante propositionem primariam una vel plures propositiones secundariae antecedunt.

EXEMPLA: Antequam de meo adventu inimici mei audire potuissent, in Macedonia ad Planciumque perrexi (CIC., *Planc.*, 41) — Salutem quum Ligariis deridis, tres fratres optimos reipublicae condonaveris (CIC., *Lig.*, 12) — Ad Piraeum recuperandum quum populus armatus concurisset, Phocion ne armatis quidem praeesse voluit (CORN. NEP., *Phoc.*, 2) — Etsi nihil aliud Syllae nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat (CIC., *Syll.*, 32) — Ut rationem Plato nullam afferret, ipsa auctoritate me frangeret (CIC.) — Si vicinus tuus equum meliorem habeat quam tuus est, tuumne equum malis an illius? (CIC.) — Quum esset Caesar in citeriore Gallia, crebri ad eum rumores afferebantur (CAES.) — Regum exitus si reputaveris, plures a suis quam ab hoste interemptos numerabis (QUINT. CURT.).

c) Nominativus aut casus qui communis est utrique parti periodi, in fronte ponitur.

EXEMPLA: *Ager*, quum multos annos quievit, ubiores efferre fructus solet (CIC.) — *Sapiens*, quum stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur voluntate (CIC.) — *Alexander*, quum intermisset Clitum, familiarem suum, vix a se manus abstinuit (CIC.) — *Otho*, quum tanti se non esse dixisset ut propter eum civile bellum commoveretur, voluntaria morte obiit (EUTR.) — *Perfugae*, postquam murum arjetibus feriri vident, aurum atque argentum domum regiam comportant (SALL.) — *Romani*, quum grandorem aetatem ad consulatum constituebant, adlescentiae temeritatem verebantur (CIC.) — *Cogitatio*, quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adiuvatur (QUINT.) — *Omnes*, quum te summis laudibus extulerunt, mihi continuo gratias agunt (CIC.) — *Saguntini*, ut a proeli quietem habuerant, ita non nocte, non die unquam cessaverant ab opere (TIT. LIV., XXI, 11) — *Vitellius vespere*, ita ut erat in veste domestica, imperator est consalutatus (SUET., *Vit.*, 8) — *Pompeius*, quo facilius impetum Caesaris tardaret, ne sub ipsa profectione milites oppidum irrumperent, portas obruit (CAES.) — *P. Claudius* bello Punico, quum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, ut biberent, quoniam esse nollent (CIC.).

I. JSS.

ANNALES

Hispanicum bellum civile

Catalaunia omni in ditionem suam redacta, « Nationalistarum » exercitus hinc ad Galliae usque fines, inde ad fines reipublicae Andorre, nullo fere resistente, pervenerunt ibique stationes suas posuere. « Communistarum » gubernium postquam

a loco ad locum est pervagatum, transfuga et ipsum cum Reipublicae Praeside Azana in Galliam se recepit, unde condicione pacis Franco adversario offerre auctum est, quas ille invicto animo est aspernatus, ditionem in fidem exposcens, aqua solummodo tot caedium auctores poenas expectare possent. Hoc responso accepto, Negrin, minister primus, cum maxima collegarum parte, fugam ad ignota litora volvit; Azana autem a munere se abdicavit per litteras ad publici coetus legibus ferendis praesidem missas, in quibus conquerebatur sese a militum ductoribus, de bello actum iam esse profitentibus, relictum fuisse, Galliam et Angliam hostium dominium et ipsas recognovisse, ita ut sibi aditum interclusum esset ad maximi momenti negotia cum iis agenda, et consiliariorum opera se carentem futurorum periculum praestare non posse... Quid inde? Sperandum ex animo tempus proxime adventurum, quod tot tantisque cruciatibus infelicem Hispanorum gentem liberet.

Londinensis de Palaestina conventus

Londini Arabum, Iudeorum aliarumque gentium rationes aliquas in Palaestina habentum initus est conventus ad discrimina componenda, quibus regio illa usque ad sanguinis effusionem iamdiu turbatur. In aditiali oratione Chamberlainus, Anglorum minister primus, proposita sua revocavit pacis inter populos per condiciones conciliandae, iustitiae innixas. Non tamen aemulationes simultatesque ita cessura esse vindicentur, ut ad optatum temperationis laudabilem finem facile deveniatur.

Ex Sinis

Iaponii iuxta flumen Flavum in Shansi provincia, et ad eiusdem fluminis septentriones in provincia Shingtung vicitria arma sua ulterius protulisse nunciantur.

Civilia colloquia

Rerum ad exterios Italicos minister Ciano Poloniam petivit ad amicitiae officiorumque causas inter duos populos confirmandas.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

Novi Pontificis electio et coronatio

Iustis funebribus mortuo Pontifici Pio XI sollemniter per novem dies in Vaticana Basilica peractis (*Novendialia* vocant), in quorum postremis, die xx mens. Februarii, revmus d. Angelus Perugini, ab epistulis Latinis, laudationem funebrem ipsius Pii XI dixit, die i mensis Martii Purpurati Patres, sacris praemissis in Paulino sacello ad Spiritus Sancti gratiam invocandam, post quae revmus Antonius Bacci, ab epistulis ad Principes, orationem habuit de eligendo Summo Pontifice, *Conclave* vespertinis horis ingressi sunt novum defuncto Pontifici suffecturi. Postridie, hora circiter decimaseptima cum dimidio Emissus Cardinalis Camillus Caccia Dominionis, quippe ex Diaconorum ordine primus, Romanorum civium immensa multitudini ex podio medio Petrianae basilicae nunciabat, ad Pontificii imperii principatum evectum fuisse EUGENIUM PACELLI, Romanum, S. R. E. Camerarium seu «Camarlingum», Pii XI publicorum negotiorum a secretis, qui sibi nomen imposuit PIUS XI. Paulo post novus hic Summus Dei in terris Vicarius ex eodem podio primam benedictionem urbi et orbi impertiebat.

Insequenti autem die, mane, post tertiam Sacri Senatus «adorationem» in Xystino sacello factam, inde ad universum Catholicum orbem nuntium, qui sequitur, «radiophonice» Is afferebat:

Dum gravissimum Summi Pontificatus onus, quod Deus, arcano Providentiae

Suae consilio, Nostris humeris imposuit, vehementer Nos commovet ac propemodum animum frangit Nostrum, necessitate quadam compellimus, ut mentem, ita paternum alloquium ad universum Catholicum Orbem convertere.

Ac principio dilectissimos e Sacro Collegio Purpuratos Patres, quorum pietatem, virtutem, praeclaraque animi ornamenta diuturno cognovimus usu, amantissima voluntate complectimur; Venerabiles dein in episcopatu Fratres singulos universos benevolentissime salutamus; sacerdotibus item Iesu Christi administris ac dispensatoribus mysteriorum Dei, religiosis viris ac mulieribus benedicimus, atque iis etiam, qui sive sacris expeditionibus operam dantes Iesu Christi Regnum usquequa provehunt, sive in Catholica Actione Episcoporum ductu militantes adiuvant; omnibus denique quos ubique terrarum habemus filios, iisque praesertim qui vel rerum inopia laborant, vel doloribus afficiuntur, caelestia munera supernaque solacia imploramus.

Attamen mens Nostra ad eos quoque fertur omnes, qui extra Catholicae Ecclesiae saepa versantur; quique, ut confidimus, libenter accipient divina auxilia esse e Nobis, hac sollemni hora, sibi a Deo Optimo Maximo Nostris precibus implorata.

Ac Nostro huic paterno nuntio omen pacis adiicere invitationemque cupimus. Pacem, dicimus, quam Noster piae recordationis Decessor tam impense hominibus suasit tamque enixis precibus imploravit, ut suam Deo vitam pro concilianda hominum concordia ultra devoveret. Pacem, Dei munus pulcherrimum, quae exsuperat omnem sensum; pacem, quam cordati omnes non expetere non possunt; pacem denique, quae ex iustitia caritateque oritur. Ad pacem illam adhortamur omnes, quae animos amicitia Dei coniunctos refovet, quaeque domesticum convictum sacro Iesu Christi amore temperat atque com-

ponit; ad pacem, quae nationes ac gentes per mutuum fraternalum auxilium coniungit; ad pacem denique atque concordiam ita inter Nationes instaurandam, ut singulae gentes mutua consensione, amico foedere atque adiutrice opera ad universae hominum familiae profectum felicitatemque, aspirante iuvanteque Deo, contendat.

Ac praeterea, trepidis hisce temporibus, dum tot tantaeque difficultates eam veri nominis pacem, quam omnes vehementissime exoptant, prohibere atque arcere videntur, supplices ad Deum admovemus preces, pro iis omnibus qui publicae rei praesunt, et ad quos gravissimum ac per honorificum onus pertinet populos perducenti ad prosperitatem civilemque progressionem.

En vobis, Purpurati Patres, en vobis, Venerabiles Fratres, vobisque amantissimi filii, primum quod Deus e Nostro prompsit Patris animo votum.

Nostrisque utique obversantur oculis gravissima quibus conflictantur homines mala, quibusque inermes Nos, at Summi Dei auxilio nisos, opus est mederi. A Divo Paulo mutuati verba «Capite nos!» horatamur omnes. In hanc profecto erigimur spem vos filios vosque fratres flagrantissimum hoc Nostrum concilianda pacis votum minime esse destitutos. Post Dei opem, promptae alacrique voluntati vestræ, maximopere confidimus.

Utinam Christus Dominus, «de cuius plenitudine omnes nos accepimus» (Io., 1, 16) optato huic Nostro e caelo adsit, atque illud, solacia ac bona omnia portendens, per universum terrarum orbem difundat; auspice quidem Apostolica Benedictione, quam Nos peramanter impetrimus.

Denique, die dominica, xii eiusdem huius mensis Martii, solennia celebrata sunt de Summi Pontificis coronatione. Nempe circiter horam nonam Pius XII aulicis, Epi-

scopis et Cardinalibus comitantibus, per scalas, quae regiae nuncupantur, gestatoria sella vectus in porticum Vaticanae basilicae descendit, a legationibus quadraginta nationum ad rem missis, inter quas Italicae conspicua, quippe cui praeessent Princeps regni heres eiusque uxor, exceptus, et a Vaticano capitulo, qui oboedientiam suam Ei de more praestitit. Ingressus deinde templum, acceptisque Supremi Pontificatus insignibus, supra sepulcrum B. Petri sacra litavit, deinde basilicae medium podium iterum petiit, ubi, in solio ad rem comparato, adstante atque ovante tanta populi frequentia, quanta nunquam post hominum memoriam facta est — (plura enim centena hominum millia adesse computata sunt) — triplici Summorum corona est redimitus.

Quum ad Vaticanas aedes rediisset omnibus a Cardinali Decano Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte nomine Sacri Señatus iterum Ei porrectis, Ss̄mus allocutione hac respondit:

Quae venerandus ac Nobis carissimus Sacri Collegii Cardinalis Decanus verba fecit, tam vehementer suaviterque Nos tangunt, ut immortales grates eidem iisque omnibus referamus, qui proprius a Nobis adsunt, devotam eorum pietatem fidelitatem paterno rependentes animo.

Per vos, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii Nostri, post obitum desideratissimi ac perpetuae recordationis Decessoris Nostri, Providentissimus Deus, arcano suo consilio, Nos, etsi invitox nec opinantes, ad eiusmodi dignitatis auctoritatisque fastigium extulit, cuius ardua celsitudo, singularis ratio gravissimumque officium quemlibet hominem, nedum Nos, contemiscere iubeant.

Quapropter non nostris meritis viribus que subnixi, sed gratia Dei confisi, ad potentissimum sapientissimumque Eius nutum frontem reclinamus Nostram. Atque ad eum convertentes oculos, qui est «Pater

luminum et Deus totius consolationis», itemque illius tutela freti, quae Benesuadens Virgo Conclavis Patrona exstitit, petrianae navis gubernaculo admovemus manus, ut eam per tot fluctus et procellas ad pacis portum dirigamus.

Summi Pontificatus munus, per saeculorum decursum, non alio spectat, nisi ut veritati famuletur; veritati dicimus, quae integra ac germana sit, nullis obscuratio-ribus obumbrata, nullisque obnoxia infirmitatibus, at nunquam seiuncta a Iesu Christi caritate. In omnem siquidem Pontificatum, ac praesertim in hunc Nostrum, quem suas partes explore oportet pro hominum consortione tot discidiis ac conflitationibus laborante, illud S. Pauli Apostoli, veluti sacram mandatum, dominari opus est: «Veritatem facientes in caritate» (Eph., IV, 15).

Vestram igitur operam, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii Nostri, vestramque alacritatem advocamus; qua adiuti. amplissimum hoc munus, quod hodie sollemni ritu auspicati sumus, ad peculiare hoc Apostoli gentium mandatum conformare totum valeamus, et caelestia ea dona, quae munus idem quodammodo continet, universo hominum generi impertire. Officii Nostri magnitudinem gravitatemque probe noscentes, neque spem exspectationemque ignorantes, quam in Beati Petri Solio ii non modo collocant, qui fide caritateque arctissime Nobiscum coniunguntur, sed seiuncti etiam non pauci a Nobis fratres atque universa propemodum hominum familia concilianda paci inhians, hac hora, dum Pontificalis Diodematis maiestas atque onus fronti Nostrae imponitur, vos compellamus omnes Senatus Noster, vosque, intimi consiliarii Nostri, adhortamur, S. Ioannis Chrysostomi mutuantes verba: «Vos, laborem cognoscentes, cooperamini precibus, sollicitudine, alacritate, amicitia, ut nos vestra gloriatio, et vos nostra sitis». Firma eiusmodi fiducia erecti, cum ve-

nerando Cardinali Decano, mentis animique vestri interpreti disertissimo, tum unicuique vestrum effusa benevolentia gravissimaque voluntate Apostolicam Benedictionem impertimus.

Pater Beatissime, quibus laetis auspiciis Pontificatum iniisti, laetioribus procedat, in aevum semper felicior!

VARIA

Summa laude dignum esse illum imperatorem, qui hostis sui cogitationes consiliaque praevide ac praecognoscere noverit.¹

Recte Epaminondas Thebanus nihil in imperatore tam laudabile asserebat, quam si hostis sui deliberationes consiliaque praenosceret. Quae res, quum per se ardua atque difficilis sit, prudentissimum illum esse oportet, qui conjecturis id assequitur, quod certis indiciis haberi nequit. Neque vero consilia hostium tantum difficulter intelliguntur, verum etiam actiones; et actionum non illae solum, quae clandestinae sunt, verum etiam quae coram fiunt in exercitu. Nam saepe accidit, ut quum pugna ad multam noctem usque durarit, is qui vicit victimum se esse putaverit, et victus victorem se esse errore quodam existimaverit. Ex quo factum, ut consilia saepe inita sint plane actoribus suis perniciose. Tale quiddam accidit Bruto simul atque Cassio, qui de eventu pugnae male instituti, consilia inierunt saluti sua contraria. Nam quum Victoria penes Brutum esset, in illo cornu cui ipse praeerat, Cassius in altero cornu victimum Brutum esse putavit, et in fugam versum illius exercitum; itaque de salute sua desperans, sibi mortem consivit.

¹ EX NICOLAI MACHIAVELLI opere, cuius titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

In proelio, quod Galliae rex cum Helvetiis ad S. Caeciliam in Insubria aetate nostra commisit, quum pugna ad noctem usque protraheretur, existimarent Helvetii illi, qui integris ordinibus superfuerant, esse victores, neque de iis qui caesi profligatique fuissent, quidquam sciebant; ea-que causa fuit, ut saluti suae non consulerint, quod existimarent sibi die sequenti profligandas esse hostium reliquias.

Tantusque fuit iste error, ut Pontificium Hispanumque exercitum in summum discrimen adduxerit, quod ii confidentes victoriae, quam penes Helvetios esse putabant, Padum traicerint et in Gallorum manus propemodum inciderint.

Tale quidquam etiam in Romanorum Aequorumque castris olim accidit, quum duce Sempronio consule dimicassent. Nam quum varia fortuna ad noctem usque acriter pugnaretur, superveniente nocte graviter laesi erant utrique exercitus; itaque de victoria utrique desperantes, non in castra redire ausi sunt, sed vicinos colles occuparunt, in quibus se tutos fore confidebant. Sed Romanorum exercitus bifariam divisus, partim Sempronium consulē sequutus est, partim Tempanium centurionem, cuius singularis virtus in illo proelio eniuisset, ac propemodum sola obstitisset, quo minus universi eo die delerentur. Postero die quum et Sempronius penes Aequos esse victoriam crederet, et Aequi penes Romanos, discessere utrique, Sempronius Romam, Aequi alio, et castra deseruerunt. Sed Tempanius, qui Romani exercitus partem secum habebat, ea re cognita, in castra Romanorum rediit, ea conservavit, et hostium insuper castra spoliauit, Romamque magna cum laude et optimis spoliis rediit. Cuius rei occasio ei ex utriusque exercitus errore cognito oblata fuit. Atque hinc licet intelligere, quod facile contingere queat inter dimicandum ut utrinque laborent exercitus iisdem difficultatibus, et eum semper victoriam re-